



Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibus

De Deo Effectore Creaturarvm Omnium. In tres præcipuos Tractatus
distributa. Quorum primus De Angelis

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

III. Obiectionibus satisfacit, & expe[n]ditur, an possit Angelus nullibi esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84413)

vocibus contendendum, certum est tamen illum modum, propter solam transcendentalē habitudinem ad prædicamentum relationis non pertinere, magis quam scientiam, vel potentiam, vel vbi corporeum.

13. Probatur iam posterius membrum conclusio.

Atque ex his ad sufficientiam partium enumeratione, probatur vltima pars, scilicet hunc modum esse accidentis, seu accidentium, sub quo talis modus intrinsecus collocari possit, præter prædicamentum Vbi, & in illo optimè constituitur. Tum quia nihil est, quod repugnet: tum etiam quia hoc Vbi angelicum habet cum Vbi corporeo sufficientem proportionem, & convenientiam, ut ab utroque communis conceptus vniuocus, & genericus abstrahi possit, ut in dicta disp. 51. Metaph. sect. 4. late declarauimus, ad quam rectorem remitto: ibi enim convenientias inter utrumque Vbi numeravi, & exposui, quæ certè ad convenientiam genericam indicandam sufficienti. Nec enim vlla ratio analogiæ ibi inuenitur, si rem ipsam spectemus, quidquid sit de impositione nominis Vbi. Nam de hoc verisimile est, in principio impositum fuisse ad significandum in specie materiale Vbi corporeum, quod Philosophis notius est, & inde ad spirituale Vbi Angelorum fuisse translatum: sicut de nomine Lucis dixit D. Thomas 1. p. q. 67. art. 1. de quo ait, non obstante simili extensione propriè in spiritualibus dici. Idemque de tempore dicere possumus. Nam veridicè est vocem Tempus, à materialibus ad spiritualia fuisse translata, & nihilominus in Angelis propriè tempus inuenitur, quod cum materiali tempore vniuocam, & genericam convenientiam habet, & ideo in prædicamento Quando, propriè collocatur, ut in eadem Metaph. disp. 50. late diximus. Nihilominus tamen spirituale, & materiale Vbi specie inter se differunt, ut ibidem docui, & ex dicendis in capite sequenti magis declarabitur.

Vbi primo impositum ad significandam præsentiam corpoream.

14. Tertia conclusio bipartita.

Dico tertio hoc Vbi angelicum ita est intrinsecum in angelo, vt eius substantiam & per se afficiat tanquam immediatum subiectum suum, & ratione eiusdem substantiæ aliquo modo illi conueniat. Hæc est sententia, & mens auctorum, quos supra retuli, estque verisimilis, licet ab aliquibus modernis impugnetur. Probatur autem quoad priorem partem, quia inter substantiam angeli, & modum prædictum nihil mediatur, ratione cuius talis modus in tali subiecto recipiatur, vel per modum potentia proxima, vel per modum dispositionis, quæ ex parte subiecti sit, quasi materialis ratio recipiendi tale accidens: nihil enim huiusmodi fingi, aut excogitari potest, ergo substantia spiritualis per se ipsam est capax talis modi, ac proinde hoc accidens illi inhaeret tanquam subiecto omnino proximo, & immediato. Declaratur, & confirmatur tum ex differentia, quæ in hoc inuenitur inter substantiam spiritualem, & materialem, tum ex convenientia, quæ inter quantitatem ipsam, & substantiam angeli reperitur in hoc. Nam substantia corporea non est per se naturaliter capax proprii vbi corporei, sed media quantitate fit capax talis Vbi: nam per quantitatem recipit extensionem in ordine ad locum, & aptitudinem, vt per extrinsecam superficiem circumferri possit, & intra eam contineri. At v. angelus ex vi solius substantiæ suæ habet capacitatem recipiendi suum Vbi, sibi proportionatum, id est, sine extensione, & sine propria circumscriptione, vel aptitudine ad illam. Ergo ex hac parte optimè intelligitur substantia spiritualis esse proximum subiectum sui Vbi, licet materialis substantia non ita immediate ad suum Vbi compareretur, quidquid sit, an secundum aliquid materialis substantia sit etiam immediatum subiectum sui Vbi, quoddam præsens, nihil refert. Hinc v. sequitur convenientia, seu proportio inter quantitatem ipsam, & substantiam angeli, quia quantitas per se ipsam, & non per aliud est capax loci: nam per se ipsam quæ uaria est & extensa, & capax circumscriptionis, ne in infinitum procedere necessarium sit, & ideo

Suadetur prior pars.

Confirmatur.

Quantitas est immediatum subiectum sui Vbi.

est immediatum subiectum sui Vbi, ideoque in eam ariet in speciebus consecratis, sublata substantia panis. Ergo similiter substantia angeli est immediatum subiectum sui Vbi, quia per se ipsam est capax illius, & non mediante alia forma, vel dispositione. Imò in hoc aliquo modo excedit quantitatem, vt mox declarabimus.

Altera pars, scilicet, substantiam angelicam esse etiam proximam rationem sui vbi, declaratur in primis: nam aliquid addit præcedenti. Potest enim aliqua res esse proximum subiectum accidentis, & non esse propriam rationem, ob quam tale accidens ei conferatur, sed meram capacitatem habere. Sicut aer est subiectum luminis, & quantitas dici potest proximum subiectum motus, vel coloris: neutrum autem dici potest ratio, ob quam sequatur in tali subiecto tale accidens, vel propter quod illi inicit, aut conferatur. Aliquando verò in ipso subiecto est aliqua specialis ratio, ob quam tali accidenti affectum esse oportet, siue illa sit emanatio effectiua, vt est inter substantiam angeli, & intellectum eius, siue sit aliqua naturalis connexio, vt inter intellectum angeli, & species illi inditas (vt supra suo loco diximus). In hoc ergo posteriori sensu dico, substantiam angeli esse non tantum proximam subiectum, sed etiam aliquo modo rationem intrinsecam sui Vbi. Et hoc etiam sciunt dicti Theologi, quando in hoc etiam quam proportionem æquiparant substantiam angeli quantitati corporis. Nam quantitas non solum dat corpori capacitatem, sed etiam necessitatem habendi aliquod Vbi, & ideo rectè dicitur non solum esse subiectum, sed etiam esse rationem ipsius Vbi: at substantiam angeli non solum per se habet capacitatem sui Vbi, sed etiam necessitatè habendi illud, ergo non erit solum subiectum, sed etiam ratio illius. Consequentia tenet à paritate rationis, & maior est per se nota in Philosophia, & ferè ad sensum: minor autem respondendo obiectionibus melius declarabitur, & suadebitur.

CAPVT III.

Obiectionibus satisfiet, & obiter dubium expeditur, an possit Angelus nulli vbi esse.

Asseritio vltima capitis superioris impugnatur, quia si modus ille, quo habet angelus esse alicubi, procederet immediatè à substantia angeli, sicut vbi corporeum procedit à quantitate, non possit angelus absoluti ab omni vbi, sicut quantitas absoluti non potest, saltem naturaliter. Consequens est falsum, ergo. Minor probatur, quia angelus pro sua libertate potest mutare Vbi, nisi ab extrinsecò impediatur, ergo etiam potest nullum Vbi in se efficere, seu nulli loco se applicare. Secundò argumentatur, quia alias non possit angelus transire ab extremo ad extremum locum sine medio, quod etiam falsum reputatur. Tertio quia sequitur angelum necessariò semper esse in loco adæquato. Consequens est falsum, ergo, & illud ex quo sequitur. Minor patet infra, sequela probatur, quia substantia angeli semper est eadem, ergo si ipsa est ratio habendi tale Vbi, semper erit ratio habendi æquale Vbi. Sicut quantitas necessariò occupat semper æquale spatium, nisi condensetur, aut rarefiat. Quorum modorum variatio in angeli substantia locum non habet.

Hæc verò parum nos mouent: imò si atremè spectentur, potius assercionem positam confirmant. Vnde ad primum respondemus retorquendo argumentum, quia angelus non potest se absolute ab omni vbi, ergo ex vi suæ substantiæ, illi necessariò conuenit, vt sit alicubi suo modo, sicut ratione quantitatis conuenit corpori, vt alicubi sit, ergo substantia angeli tam est ratio sui Vbi, quam sui est quantitas.

Primum vt vbi.

Primum antecedens ex discursu sequentium capitulū fiet evidentiū, nunc breviter ostenditur, aduertendo prius consuleto dictum esse ab omni vbi, & non ab omni loco. Nam locus frequentius sumi solet, p̄ loco extrinseco, de quo capite sequenti dicitur sumus: nunc autem præcisè de vbi intrinseco agimus. Nihilominus tamen, si loquamur de angelis, quatenus intra hunc mundum visibilibus creati sunt, & in eo semp̄ existunt saltem ex lege Dei, vt supra declaravi: sic illa duo non separantur. Vnde argumentor in hunc modum: nam angeli existunt intra hunc mundum, ergo necessariò sunt in aliqua certa parte, seu corpore hujus mundi, ergo semper sunt in aliquo determinato loco, ergo semper habent aliquod vbi intrinsecum.

Cap. præc. num. 20.

3. Progreddi- tur in hanc probatio.

Primum antecedens supponitur cum ex modo loquendi Scripturæ, & Patrum, tum ex communi sententia Theologorum: tum etiam quia angeli creati sunt à Deo intra hoc vniuersum, vt præcipue partes ejus, & vt in eius gubernatione ministri Dei essent, juxta illud, Omnes sunt administratores spiritus, & ideo ex ordine vniuersi à Deo constituto intra ipsum permanent. Denique factè ex hypothesi illud antecedens supponimus, & primam consequentiam probamus. Primum quia intelligi non potest aliquid esse realiter præsens intra aliquam spheram, & non esse in tota illa, quin sit in aliqua determinata parte ejus, quia præsentia talis rei ad aliam determinatam est, & singularis, & ideo in aliqua certa, & determinata parte esse debet: sed angelus est intra spheram hujus mundi, vt supponitur, & non est in toto mundo, vt cap. primo probatum est, ergo necesse est, vt in aliqua certa parte, seu determinato corpore sit. Secundo hoc etiam videtur supponere omnes Sancti, & Theologi, qui docent omnes angelos fuisse creatos in celo empyreo, vel hellaro, vel in aliquo alio, semper enim tanquam certum statuunt, necessariò debuisse creati in aliquo determinato loco hujus mundi, neq̄ aliter potuisse intra mundum creati: & ita in hoc omnes conueniunt, licet juxta varias conjecturas, vel omnibus, vel aliquibus angelis diuersa loca designent.

4. Complectitur dicta probatio.

Prima item consequentia facillè probatur ex dictis in prima assertione, quia non potest angelus esse præsens alicui corpori, nisi habeat p̄prium vbi conjunctum tali corpori. Nam si præsentia pro relatione sumatur, supponit suum fundamentum proximum, q̄ in angelo est ille modus intrinsecus absolutus: si autem præsentia sumatur, p̄ ipsa substantiæ in distantia, hæc ex parte angeli est ipsum intrinsecum vbi, vt in prima etiam conclusione probatum manet. Et aperte conuenitur, quia si Gabriel, v. g. nunc est substantialiter p̄sens in aliqua determinata parte cœli Emphyrei, potest desinere esse præsens ibi per solam sui mutationem, vt est manifestum, ergo per illam mutationem amittit hunc modum, quia nihil aliud absolutum amittere potest, nec relationem p̄dicamentalem potest primariò amittere, sed quia fundamentum ejus amittit: nam supponimus aliud extremum immutatum manere. Ergo hoc vbi intrinsecum necessariò supponitur ad omnem talem præsentiam in loco extrinseco, ad p̄inde sicut angelus intra mundum existens, necessariò est in aliquo determinato loco extrinseco distinctim, seu confusè, ita necessariò habet aliquod intrinsecum vbi, quia determinata præsentia in determinato vbi fundatur. Et ita p̄bata etiam manet secunda consequentia principalis argumenti, quam etiam arguens supponere videtur, nam supponit quantitatem esse rationem corpori existenti alicubi, quia non potest absoluti ab omni vbi, quâuis nullum in particulari ex se determinet, & ideo negat substantiam angeli esse rationem sui vbi, quia existimat posse absoluti ab omni vbi, ergo cum à nobis p̄batur sit non posse absoluti, rectè inferimus, in hoc eandem esse rationem substantiæ angeli, & quantitatis corporis respectiud, seu proportionem seruata.

Quia verò hæc probatio tantum videtur de facto procedere, addo vterius etiam si Deo creasset Angelos ante mundum corporeum, vel si nunc alios Angelos extra mundum crearet, vel si Angelis nunc intra mundum existentibus licentiam daret extra mundum exundi (nihil enim horum repugnat, imò summa facilitate fieri posset.) Dico, inquam, in quocunq̄ istorum casuum non posse angelum absoluti ab omni vbi, ac proinde nunquam omninò esse hoc angelo possibile, quia non possunt fingi aut cogitari alij casus, in quibus id contingat; quia non potest cogitari angelus, nisi vel intra hunc mundum, vel extra illum, & omninò existens sine illo. Probatur ergo assumptum, quia posito angelo extra mundum posset Deus creare corpus realiter præsens in angelo sine mutatione reali Angeli, ergo tunc angelus inciperet habere relationem præsentis ad tale corpus sine mutatione sua, ergo signum est habuisse antea fundamentum illius relationis, quod est intrinsecum vbi, ergo talis Angelus non erat absolutus à tali vbi, etiam ante talis corporis creationem. Consequentia sunt evidentes. Antecedens verò p̄batur, quia Deus potest creare quodlibet corpus vbi voluerit. Et ita si creasset angelos ante hunc mundum, potuisset taliter illos prius, & mundum posterius creare, vt inciperet mundus continere intra se Angelos prius creatos sine ipsorum mutatione, in hoc enim nulla potest repugnantia cogitari.

5. Deinde p̄batur nec de possibili angelum creare vbi, si- ue præxi- stente An- gelo solita- re ibi Deus creet cor- pus.

Et vel maximè, quod non minus efficax argumentum fiet, etiam si dicatur tale corpus creari, ita vt sit distans ab Angelo: tum quia etiam distantia supponit suum fundamentum in vtroq̄ extremo: tum etiam quia post creationem corporis distantis, posset Deus adducere Angelum, & intra illud corpus constituitur per mutationem ejusdem angeli. Respondere verò potest, facta illa suppositione angeli existentis extra, vel ante mundum, corpus postea creatum ex visibili creationis nec esse propinquum, nec distans ab angelo, sed neutro modo se habere, quia ex parte Angeli fundamentum deficit. Et consequenter dicitur angelum creatum ante mundum non posse incipere esse in mundo sine mutatione Angeli, illam tamen mutationem non esse amissionem prioris vbi, sed tantum noui acquisitionem. Hæc autem euasio multa continet, quæ & distillima intellectu sunt, & sine ratione dicuntur, & ideo parum sunt credibilia, præterquam quod etiam sunt parum consentanea his, quæ de facto de angelis credimus, quia vel reuelata sunt, vel pl̄ quam probabiliter ex illis inferuntur. Primum enim intelligi non potest duas res esse in rerum natura, & tamen non esse distantes, nec propinquas, cum hæc duo immediatam oppositionem præ se ferant. Deinde duo corpora etiam si nec vnum aliud contineret, nec ambo in vno tertio continerentur, non possent non inter se habere determinatam distantiam, vel propinquitatem, quia vel se contingerent, vel vnum quodque haberet certum locum, inter quæ loca esset finita, ac proinde determinata distantia, quam Deus, imò & Angelus facillè cognosceret: ergo eadem ratione corpus, & spiritus, licet vnum aliud non contineat, neq̄ ambo in vno tertio contineantur, habebunt necessariò inter se definitam distantiam: est enim eadem ratio, quia distantia non limitatur ad corpora. Nunc enim demon verò distat à celo, etiam si nec corpus habeat, nec corpori alligetur. Vnde confirmatur, quia alias nunc angeli jam creati possent de facto non esse in mundo, neque extra mundum, quia possunt absoluti ab omni loco, & pro sua libertate id faciunt. Vnde ergo constare potest creatos esse intra mundum, vel in celo, quo fundamento affirmari potest de facto semper esse intra mundum, cuius rationis vis magis ex se sequenti capite patebit.

6. Sine creet distans ab Angelo.

Effugium.

Resoluitur primo.

Resoluitur secundo superius effugium.

Tertio arguitur, quia alias sequitur, si Angeli supponantur esse realiter præsentis alicui corpori, v. g. Resoluitur cœlo tertio.

7. Resoluitur cœlo tertio.



caelo Empyreo, non posse Deum inde expellere tale corpus, vel illud annihilare, quin angelus mutetur, & suum intrinsecum vbi amittat. Consequens est falsum, & incredibile: sequelam admittunt facile Doctores, qui putant angelum posse absolui ab omni vbi, quia consequenter dicunt non habere reale vbi, & intrinsecum, nisi sit in reali corpore. Falsitas autem consequentis probatur primo, quia vbi angelicum est spirituale, ergo per se non pendet à corpore, quia non est realis vno ad illud, vt nunc suppono, & infra probabo. Omnis autem alia res, & modus spiritualis per se est independens à corpore, ergo in dicto casu, quamuis corpus è medio tollatur, poterit angelus in eodem vbi immutatus manere, quia pro sua libertate potest, vbi voluerit, esse, aut permanere, nisi ab alio potestate habente directè remoueatur. Secundo quia si duo corpora penetratiuè existant, & aliam dependentiam inter se non habeant, potest Deus mouere, vel annihilare vnum illorum, altero immutato in suo vbi permanente, ergo idem poterit facere inter corpus, & spiritum, quia non est maior ratio, vel maior dependentia spiritus à corpore, cui est præsens, q̄ sit vnius corporis ab alio corpore, cum quo est penetratiuè in eodem spatio. Denique fieri potest argumentum veluti à fortiori, nam spiritus existens in corpore potest mutari, & suum vbi amittere, corpore immutato manente, ergo multo magis è conuerso poterit corpus moueri, angelo non mutato, quia minus pendet spiritus à corpore, quam corpus ab spiritu.

8. Quarto argumentari possumus, quia alias angeli creati ante, vel extra corpora necessario manerent immobiles. Consequens falsum est, ergo sequela est clara, nam sermo est de mutatione secundum locum, cuius terminus est vbi, & ideo in re, quæ habet intrinsecum vbi, nec illud acquirere potest, inueniri non valet. Minor autem probatur, quia licet angelus supponatur creatus absq̄ corporibus non replet per præsentiam substantialem omnia spatia imaginaria, seu quæ possunt corporibus repleri, quia non est immensus sicut Deus, ergo habet finitam, & limitatam præsentiam, vel (vt ita dicam) diffusionem substantiæ suæ, ergo pro libertate sua poterit illam mutare, vel multo magis Deus potest illam mutare. Et confirmatur, nam corpus creatum in vacuo potest localiter moueri (vt ex Philosophia suppono) & Deus posset totum hunc mundum mutare secundum vbi adæquatum: quæ est enim in hoc contradictio, aut quis cogit Deum, vt hunc mundum cum hoc determinato vbi à principio crearet, & non cum alio? Quod si à principio potuit cum alio vbi mundum condere, profectò etiam nunc potest illud mutare, ergo etiam posset angelum in vacuo creatum secundum locum mutare: nulla enim ratio, & probabilis differentie assignari potest. Et declaro præterea in hunc modum: fingamus creatum celum Empyreum solum vacua manente tota eius concavitate: & interrogo an possit Deus creare in centro illius concavitate? Certè non videtur posse negari, quæ est enim repugnantia? Si autem Deus posset angelum in centro creare, profectò sic creatum posset caelo magis, ac magis appropinquare versùs eam, quam vellet partem, quia nulla maior repugnantia in hoc, quam in prima creatione inuenitur.

9. Concludo igitur, quomodo cunq̄ue angelus creetur, siue intra, siue extra mundum, aut ante mundum, necessariò creari cum aliquo certo, & intrinsecò vbi, nunquam posse ab omni vbi absolui. Et ratio à priori videtur esse, quia realis præsentia intrinsecò comitatur omnem realem entitatem cum debita proportione iuxta vniuscuiusq̄ capacitatem. Quod maximè declaratur inductione, nam diuina substantia per suam immensitatem habet ex parte sua hanc præsentiam ad omnia loca, vel facta vel possibilis, quantum est ex parte sua, seu, quod idè est, ad omnia spa-

ria tam vera, quam imaginaria, quia verò substantia diuina spiritualis est, & infinita, idè præsentia illa est sine extensione, & sine limitatione. Angeli verò sicut participant diuinam substantiam, ita etiam aliquid realis præsentie participant, quia non possunt non esse substantialiter indistincti à diuina substantia, & hæc necessariò illis est præsentia, ita vt inter substantiam diuinam, & angelum creatum relatio propinquitatis concipi possit, & debeat, q̄ licet ex parte Dei non sit realis, nihilominus ex parte angeli realis erit, sicut in eo existentia durationis etiam inuenitur. Et quia angeli substantia spiritualis est, etiam præsentiam illam spiritualiter participant. Quia vero finita est, non est adæquate præsentia substantiæ diuinæ. Deniq̄ substantia materialis suam etiam præsentiam habet, inferiori tamen modo siue accommodato, vt per extensionem partium, & occupando, ac replendo spatium quantitatio modo, ac media quantitate. Ex qua inductione colligimus, hanc esse intrinsecam naturam omnis realis substantiæ, nec aliam rationem huius intrinsecæ connexionis esse petendam, quia hæc est vna ex principalibus, q̄ ad existentiam realem cuiuscunq̄ substantiæ confertur. Sicut etiam duratio in omni substantia existente necessariò inuenitur, quamquam non in omnibus æquiparentur, vt in dictis locis Metaphyl. declarauimus, & vna ex potissimis differentijs est, quæ in sequenti §. exponemus.

Ad rationem ergo, quæ probabat angelum posse absolui ab omni vbi, quæ pro sua libertate potest mutare vbi. Respondemus negando consequentiam, quæ multæ sunt, & proprietates inseparabiles secundum communem rationem ab aliqua natura, licet secundum particulares differentias, vel in diuinatione mutari possint: hoc videre licet in quantitate, quæ non potest omni figura priuari, potest autem illam mutare, quantum est ex parte ipsius quantitatis. Homo etiam potest mutare locum pro libertate sua, si non impediatur. Et nihilominus non potest se ab omni loco absolueri, seu nullibi consistere. Quod si dicatur, id prouenire ratione corporis, & quantitatis. Respondemus etiam in angelo posse id prouenire (seruata proportione ad suum vbi spirituale) ex ipsa ratione substantiæ. Vnde in hoc est discrimen inter durationem, & vbi: nam duratio substantiæ eadem semper ac necessariò manet, nisi angelus destruat: vbi autem, licet omninò auferri non possit, nisi etiam res destruat, potest tamen mutari ab vno in aliud. Et ratio differentie esse potest, quia duratio non est modus ex natura rei distinctus ab existentia rei, sed tantum ratione, vbi a. ex natura rei distinguitur, vt ostendimus. Et hinc etiam fit, vt angelus semper à Deo durationem recipiat, quod fecus est in vbi: nam licet primum receperit immediatè à Deo, postea sua voluntate potest aliud in se efficere, vt infra videbitur. Voluntas a. illa tantum concurrat esse illud, vel immediatè, vel per potentiam executiuam: ipsum autem vbi semper inest immediatè ipsi substantiæ, & ab illa necessariò postulat, saltem secundum rationem communem, vt dixi. Vnde etiam fit, vt hæc mutatio secundum vbi non solum fieri possit, ex voluntate ipsius angeli, sed etiam ipso inuito per potentiam, vel superioris angelis, vel saltem ipsius Dei, vt quando angeli de caelo eiectioni sunt, & in infernum detrusi.

Secunda obiectio aliam inferebat sequelam, scilicet, quod non posset angelus transire ab extremo ad extremum lineæ medio. Ad quam posuimus eodem modo respondere concedendo illam, & defendendo, vel etiam confirmando consequentia, sed quia de illo futura est infra disputatio propria, nunc aliter respondemus, negando sequelam: siue enim consequentia verum, siue falsum, reuera non sequitur. Quia licet Angelus necessariò habeat ratione suæ substantiæ aliquod vbi intrinsecum, non tamen eadem necessitate

8. Quarto
follitur.

Confirmatur.

9. Assertur de
mg. ratio à
priori cur
angelus nec
diuinitus
carere possit
omni vbi.
Inductione
ostenditur.

tate certum Vbi sibi determinat (sicut dixi.) Vnde eadem ratione potest non habere determinatum modum mutandi illud Vbi, vel transeundo per totum medium, vel inmediate mutando hoc Vbi in aliud distans, quia ex parte substantiæ angeli fortasse hoc non repugnat, vel si repugnat, aliunde ostendij debet: nam ex hoc solum quod substantia illa semper requirit aliquod Vbi, non requiritur, nec ratio sufficientis talis connexionis, seu illationis ostenditur.

12. In tertia objectione alia fiebat illatio, nimirum quod Angelus necessarii sit in loco, seu spatio adæquato. Et de hoc puncto etiam sumus infra dicturi, ideoque nunc breuiter respondeo, negando sequelam, quia non magis sequitur, quam alia in prima objectione tractata, & radix in vtraque eadem est. Nam substantia angeli sicut non determinat certum Vbi, licet aliquod postulet, ita licet per se sit capax tanti, vel tanti Vbi, non necessario determinat modum, seu quantitatem (vt ita res explicetur) illius Vbi, sed infra certos terminos paritatis, & magnitudinis. (vt Phisici loquuntur) potest suum Vbi mutare, vel determinare, quamuis omnino illo priuari non possit. Quia sine vilo Vbi saltem minimo realis presentia ex parte ipsius angeli permanere non potest, quod repugnat (vt dixi) cum tamen ad presentiam quodlibet Vbi, etiam minimum sufficiat. Ad probationem autem sequelæ, scilicet, quia substantia Angeli semper est eadem, negatur consequentia, nam inde solum sequitur, quod semper eandem capacitatem habeat tanti, vel tanti Vbi, non verò quod semper idem, vel totum habeat. In quo partim æquiparatur quantitati, partim illam excedit, nam etiam eadem quantitas potest majus, & minus spatium replere, & in hoc est aliqua similitudo. Discrimen verò est, quod corpus quantum non immediate ratione solius quantitatis, sed interueniente alia priori mutatione in raritate, vel densitate potest majorem, vel minorem locum accipere: Angelus verò immediate per solum mutationem localem potest id in sua substantia facere. Et differentia ex eo prouenit, quod corpus replet locum per extensionem partium, quæ in ordine ad locum præbet quantitas tali modo raritatis, vel densitatis disposita, substantia verò spiritalis ex se habet, vt possit esse tota in tota, & tota in qualibet parte, & quia alia substantia creata mutabilis est, potest hunc modum existendi alicubi etiam intra propriam spheram variare.

CAPVT IV.

Vtrum Angelus sit in loco extrinseco per transiuntem actionem, ve aliquid ei simile.

Explicamus locum angelicum ad instar corporali, tum quia spiritalia non nisi ad instar corporali intelligere valeamus, tum etiam quia quoties de loco Angelorum loquimur, de corpore more nostro tractamus, & ita etiam Scripturæ, & Patres loquuntur. In corporibus autem Philosophi qui recte sentiunt, duo distinguunt, scilicet intrinsecum Vbi, & locum extrinsecum, seu circumdantem. Quæ adeo distincta sunt, vt primum possit sine secundo inueniri, vt patet in corpore existente in vacuo, & in celo Empyreo saltem ex parte conuexa: ad hunc ergo modum eadem in angelis nos distinguimus, & quoniam in precedentibus capitibus intrinsecum Vbi angelicæ substantiæ declarauimus: in hoc extrinsecum locum exponere incipimus. Supponimus autem ex dictis in c. 1. Angelum simpliciter loquendo esse in loco corporeo, vt in celo, in hoc aere, in inferno, &c. ita enim Scripturæ, & Sancti loquuntur, nec aliter possumus presentiam, vel absentiam, propinquitatem, vel distantiam angelorum declarare.

Quæstio ergo est, quæ sit proxima ratio, per quam Angelus est in aliquo corpore, tanquam in extrinseco loco. Et ratio difficultatis est, quia inter locum, & locatum debet esse aliqua connexio, inter Angelum verò, & corpus nulla esse videtur. Item quia locus concipitur tanquam forma locati saltem extrinseca: corpus autem nullam rationem formæ habet respectu Angeli.

Propter hæc difficilis visa est Theologis hujusmodi ratio locandi angelum. Vnde in varias sententias diuisi sunt. Prima est operationem angeli transeuntem in corpus esse proximam rationem, per quam Angelus est in loco. Hæc est opinio plurimum Thomistarum cum Ferrarient. 3. con. Geni. cap. 68. & sequitur Egid. in 1. dist. 37. 2. part. dist. art. 1. q. 1. Quamuis Argillum aliter interpretetur, vt paulo post dicam. Tribuiturque D. Thomæ 1. q. 52. art. 1. maxime verò illi fauet in 1. dist. 37. q. 3. art. 1. vbi dicit angelum non posse determinari ad locum aliquem, nisi per operationem, quæ effectum aliquem in eo causet: hoc tamen alijs locis moderatur, & declarat, vt videbimus. Fundamentum hujus sententiæ est supra tactum, quia inter locum, & locatum esse debet aliqua conjunctio, & contactus: ac verò contactus non potest esse, nisi propriæ quantitatis, vel virtutis, ergo necesse est, vt angelus aliquo ex his modis locum contingat, sed non potest contingere priori modo, ergo necesse est, vt virtute sua corpus contingat: ille autem contactus non est nisi per actionem transeuntem in ipsum corpus, ergo hæc est vnica ratio, per quam angelus est in loco. Et in confirmationem hujus sententiæ adducunt impugnationes aliarum, quas postea videbimus.

Hæc verò sententia duobus modis intelligi potest. Primo quod angelus dicatur esse in loco solum ratione operationis, ita vt substantia angeli reuera non sit substantialiter præsens in corpore, in quo operatur, ne hoc sit necessarium, vt angelus in tali loco esse dicatur. Quem sensum videntur secuti Heruzus, & nonnulli alij: & indicant verba, quæ D. Thomas ex Nazianzeno citat, nimirum, *Angelum ab ipse dicit esse hic, cum dicit deberet operatur hic.* Secundo existimo fuisse hunc sensum illorum auctororum, quia necessarius non est, & esset valde erroneus. Nam supra capite sufficenter probatum est ex Scripturis, Angelos verè, & realiter esse in corporibus, in quibus ingredi, habitare, & ab eis eijci dicuntur Luc. 8. & 11. Marc. 5. Matth. 12. Act. 16. & Tobia 12. dicitur Raphaël ligasse dæmonem in partibus deserti, & Apocalyp. 19. & 20. dicitur ligari in inferno. Et Sancti Patres eodem modo sepe dicunt, angelos semper adesse quando corpus Domini conficitur, vt Chrysostr. hom. 3. con. Annon. & homil. in Encan. & prima in Isatam, & sæpe alias, & optime Gregor. lib. 4. Dialogor. cap. 58. & Ambros. Luc. 1. Dicunt etiam hunc aërem repletum esse angelis Dei, vt loquitur Hilar. in id Psal. 118. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Et Augustinus in Soliloquis, cap. 7. adesse, dicit, *nobis Angelos omnibus locis, & horis,* & Concilium Aquilgranense I. tempore Stephani Papæ, cap. 132. dicit Angelos adesse electis, præsertim quando aliquid diuini obsequij operantur, vel cum in Ecclesia orationi incumbunt. Et adducit illud Psalmi 137. *in conspectu Angelorum psallam tibi.* In quibus omnibus manifestè significatur verè, & substantialis presentia Angelorum in locis, in quibus adesse dicuntur, & in quibus operantur. Et id eod sententia hæc damnata esse dicitur Parisiis ab Episcopo cum Theologica Facultate, vt Scotus, Richardus, & Gabriel referunt. Quæscunque verò sit auctoritatis illa damnatio, de sententia in hoc primo sensu intellecta facta est, vt indicat Henricus quodlib. 2. quest. 9.

Ratione potest idem sensus impugnari, præsertim in doctrina D. Thomæ, quia nulla causa efficiens operatur immediate, & per seipsam, nisi in passum sibi

Prima ratio difficultatis huius capiti.

Secunda ratio.

Prima sententia circa rationem locandi angelum.

Operatione transeuntem in corpus esse proximam rationem per quam Angelus sit in loco.

Prædicta sententia duplex sensus.

Impugnatur primum sensus ab auctoritate.

Ratione quoque impugnat.